

tinet Venetus hostem , & navium & bellatorum numero  
potiorem ; pugnatumque est atrocissime plures horas . Ra-  
ro alias cum ejusmodi genere hostium ( quippe qui nisi  
per occasionem vix pugnam conferere soleant ) majore est  
cæde dimicatum : ad trecentos ferme ex Venetis turmis  
eo certamine occubuisse quidam ex iis affirmant , qui pu-  
gnæ interfuerent ; alii nonnihil numerum extenuant ; periit  
que in iis Laurentius Michael triremis unius præfectus ,  
& Joannes Delphinus alterius præfecti frater . Processerat  
pugna a prima luce inita ad vicesimam diei horam : erant  
que interim Venetæ turmæ vehementer accisæ . Venerat  
jam & Delphina in hostium potestatem , cum reliquæ  
alia post aliam dditionem fecere . Meminere quidam atro-  
cissimæ illius pugnæ participes , numerasse se ea navi ,  
qua tum forte fuerunt , octoginta fortium virorum cada-  
vera a prora ad puppim disjecta , ad quorum conspectum  
victor hostis ingemisset , non sine indignatione , professus ,  
ita Venetum cum sua pertinacia evenire voluisse . Cæfo-  
rum corpora in altos fluætus projecta sunt , vulneribus de-  
bilitata in proximum littus exposita ; qui superstites fue-  
re , victorem ipsum Lisbonam usque cum captivis navi-  
bus sunt secuti : ibi facta est omnibus potestas abeundi .  
Est Lisbona maritimum Lusitaniæ oppidum , libetque su-  
spicari id esse , quod Olisiponum olim dixerent : hodie ob  
regiam sedem celebritate nominis & rerum opulentia ma-  
xime insignis . Hic Veneti hospitaliter a Rege accepti ;  
quibus medico opus fuit , diligenter illius jussu curati ;  
reliqui viatico & vestibus pro conditione donati . Ferunt  
vetustum hospitium Veneto nomini cum Lusitaniæ Regi-  
bus intercedere , quod illi a majoribus quasi per manus ac-  
ceptum , hoc quoque tempore omni officio & comitate  
studeant servare : ejus necessitudinis causam a Veneta ho-  
spitalitate ortam affirmant . Fama est , antiquissimum ex ea  
gente Regem cum paucis olim Venetas appulisse , ejusque  
visendæ studio aliquandiu in urbe versatum , dissimulata  
interim personæ quam gerebat magnitudine . Sed tantus  
hospes diu in occulto esse non potuit : constare cœpit Pa-